



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 16. Res Civitatis Dolensis in Britannia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

tem Flandriæ, & ipsum Lambertum Epi-
scopum, Institutionis suæ testes, expe-
ditæ. Sæculum XI.
A.C. 1094.

§. XVI.

Res civitatis Dolensis in Britannia.

Priusquam Roma discederet Lamber-
tus, Judicio interfuit, cum Papa sen-
tentiam Archiepiscopo Turonensi faven-
tem protulit. Anno superiore Rolan-
dus Episcopus Dolensis Romam venerat,
Pallium tanquam Archiepiscopus Britan-
niæ, petiturus; cumque exhibuisset Gre-
gorii VII. epistolas, quibus ille istud Ar-
chiepiscopale Ornamentum Ivoni Ante-
cessori suo, salvo Ecclesiæ Turonensis
jure, contulerat, Urbanus Papa ei quo-
que Pallium, eadem conditione adjecta,
concessit. Sed deinde Rudolphus Ar-
chiepiscopus Turonensis, ad Papam Be-
neventi degentem profectus, productis
literis probavit, hanc causam in ipso lo-
co pro Sede sua a Legatis Gregorii VII.
fuisse definitam. Episcopus Dolensis,
qui aderat, respondit, se non venisse ad
causam dicendam instructum. Tumque
utraque Parte consentiente Pontifex præ-
cepit, ut in medio Quadragesimæ anni
sequentis millesimi nonagesimi quarti,
ad causam suam defendendam parati,
Romam venirent, & si alteruter defui-
set, causa caderet. Archiepiscopus Tu-

*Martenne
Collec. p. 66.
Sup. lib.
L. XII. §. 52.*

p. 62.

Sæculum XI. ronensis præstituta die Romæ fuit, quã
 A.C. 1094. autem Episcopus Dolensis solummodo
 absentia suæ prætextum per nuncium
 misit, eo rejecto, Literisque Grego-
 rii VII. aliorumque Pontificum in hac
 causa editis, ad examen vocatis post-
 quam etiam Papa, quid Episcopus At-
 trebatensis, quinque Episcopi, qui ipsius
 Ordinationi adfuerant, & Judices Roma-
 ni sentirent, exquisivisset, pronunciavit;
 Episcopum Dolensem ceterosque Britan-
 niæ Episcopos deinceps Ecclesiam Turo-
 nensem Metropolim suam agnoscere, ei-
 que subjectos esse oportere. Hæc Bulla
 quinta Aprilis anno millesimo nonagesimo
 quarto data est.

§. XVII.

Geofridus Abbas Vindocinensis Romæ.

ep. 88. Urb. Anno superiore, Papa Guiberti Sectato-
M. S. res sine cæde & sanguine Roma ex-
 pulsus, literas dederat, quibus Catho-
 licos ad dandas Collectas ex Ecclesiarum
 censu excitabat, quod ex ipsius epistola
 ad Episcopos Aquitaniæ data dispicimus.
 Nemo autem magis Geofrido, nuper
 Abbate S. Trinitatis Vendocini electo,
 Pontifici profuit. Is enim cognitis at-
 gustiis & rerum omnium penuria, in qua
 Urbanus Papa versaretur, Romam ve-
 nit; multis insidiis & periculis non in-
Geofr. 1. itinere modo, sed etiam in Urbe supera-
ep. 8. tis,